



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

28. Arbitramur hominem iustificari per fidem, sine operibus legis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

ducit, vel quæ per charitatem & cum charitate ipsa pariter producit.

Quæ etiam explicatio alteram hinc Calvini imposturam & luculentum mendacium refutat. Sic enim hunc locum concludens ait: *Operum quidem iustitia commendatur in lege, sed fidei sua lex est, quæ nullam in operibus, qualiacunque sint, iustitiam relinquit.* Atqui disertissimè in verbis citatis docuit Apostolus fidem in Christo iustificantem illam esse, quæ per charitatem operatur, id est, quæ operum iustitiam requirit. Si enim illa fides iustificat quæ per charitatem operatur, manifestè sequitur, nec solam esse fidem quæ iustificat, sed cum operibus coniunctam; nec ipsam fidem sine operibus iustificare, sed pariter cum illis, nec denique aliquam fidei legem esse quæ nullam in operibus iustitiam relinquit, sed veram illam fidei iustificantis legem esse, quæ aliquam in operibus iustitiam relinquit, quando sine operibus nullam ipsamet iustitiam adferat.

28. *Arbitramur hominem iustificari per fidem, sine operibus legis.*

Locus ab hæreticis mirum in modum deprauatus. Est in his verbis (ait Beza) conclusio argumèti, cuius pondus si nossent sophistæ, nunquam huc deuenissent ut in iustificatione vellent opera cum fide concurrere. Hæc ille. Sed quid hinc Apostolus concludat, ex alijs Apostoli locis prius explicatis facile est intelligere. Quorum

*Opera cū
fide iusti-
ficant.*

rum sensum orthodoxum si hæretici tenuissent, numquam eò dementiæ deuenissent, ex verbis Pauli contra ipsum Paulum operum cum fide in iustificatione concurrere oportere negarent: numquam bonorum operum tam apertos se hostes profiteri ausi fuissent. Quòd enim D. Paulus opera cum fidè in iustificatione cõcurrere manifestissimè doceat,

Gal. 5. ad illa eius verba ostenderur: *In Christo te neque circumcisio aliquid valet, neque preputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Cæterum an hic locus operum cum fide concursus in negotio iustificationis excludat, doceat vult Augustinus, gratiæ Christi commendatissimus; quem an pro sophista habere velit Beza, dispiciat ipse. Sic hæc verba exponit.

In præfatione. *Hoc ideo Apostolus dixit, ne quasi de operibus nostris præsumere e videamur, & merito operum nostrorum accepisse fidei gratiã; denique ne de operibus ante fidem præsumeremus.* Hæc ille. Et cõtra insanã nostrorũ hæreticorũ interpretationem

De gratia & lib. arb. cap. 7. alio in loco sic dicit: *Homines non intelligentes quod ait ipse Apostolus. Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis, putauerunt eum dicere. sufficere homini fidem, etiam si malè viuat, & bona ope a non habeat. Quod absit ut sentietur electionis, &c.* Nihil ergo hic locus hæreticos iuuat, qui ex eo colligunt, totam hominis in hac vita coram Deo iustitiam, etiam post acceptam fidem, fideique Sacramentũ, quod est baptismus, in sola fide consistere, sine ullis

illis bonis operibus, etiam ex fide factis, postea subsequentibus. Apostolus enim dicit hominem iustificari, id est, ex impio fieri iustum (de tali enim iustificatione toto hoc capite disputat) Deoque reconciliari per fidem in Christum absque operibus legis, vel observatione legali quacunque, quæ sit causæ talis iustificationis. Atque ita non excludit opera ab executione iustitiæ (nisi fortè opera sine fide facta (sed excludit illa à virtute iustificandi absolute, id est, à virtute remittendi peccata: quia remissio peccatorum per fidem fit, id est à fide incipit. Neque enim sola fides est sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum, aut sola iustificat impiū, quæ quæ cætera omnia impetraret ad iustitiā & renouationem necessaria (vt quidam existimarunt:) sed quia fides est necessaria & prima & maximè propria dispositio) vnde August. *Ex fide dicit Apostol. iustificari hominē, nō ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetretur cætera quæ proprie opera nūcupantur, in quibus iuste viuitur:)* vel, quia fidei nomine ipsa gratia Christi, quæ solis credentibus datur, hoc loco accipitur, ideo ait Apostolus per fidem hominem iustificari. Alias præter fidem dispositiones necessarias aliæ Scripturæ tradiderunt, quas explicatas vide in Conc. Trident. sess. 5. cap. 6 & à nobis latius tractatas in opere de Iustificatione lib. 5. prolegomeno 1. (vbi etiam quo sensu fides impetrat cætera Spiritus

Iustificatio per fidem sine operibus qualis, & quo sensu.

De prædestin. sanctorum, cap. 7.

Spiritus Sancti dona explicatur) & lib. octavo, capite trigesimo sexto.

Fidē cur
Paulus
viger, nō
aliā.

De Spir.
& lit. c. 9.

De Spir.
& lit. cap.
29.

Paulus verò non nisi fidē hoc loco vrgit
siue quia illa principium & fundamentum
cæterarum est, siue quia hoc eius disputati-
o præsens postulabat, quæ in eo tota versatur
vt fidem Christi omnibus necessariam pro-
bet: vnde concludit, *Deum iustificare circum-
sionem ex fide, & præputium per fidem. Quod non
ad aliquam differentiam inter Iudeos & Gentes
dum est, sed ad varietatem locutionis*, ait Augu-
stinus. Et hanc Apostoli intentionem fuisse
nō vt legem & bona opera à ratione iustitiæ
excluderet, sed vt fidē ad eā rem necessariam
esse ostenderet; ipsa eius conclusio, quasi quæ-
dam protestatio in contrarium, manifestū facit,
quam diligenter aduertere captiosi hæretici
debuerunt. Sic enim continuò subiunxit: *Le-
gem ergo destruimus per fidē? Sic enim hæretici
Apostolū in verbo suo capiunt. Absit (inquit)
sed legem statuimus. Quomodo autē per fidem
legem statuat, non putauit necesse tunc di-
cere. Exponit autem sapienter Augustinus
hunc in modum: Lex non euacuatur, sed statu-
tur per fidem; quia fides impetrat gratiam qua lex
impleatur. Sic ergo iustificatur quidem homo
& ex impio fit iustus per fidem tanquam pri-
mam & maximē necessariam dispositionem,
sine operibus legis, vel hanc fidem præcedenti-
bus, vel hanc iustitiam promerentibus: fides
tamen opera legis non euacuat, aut ad iusti-
ficationē*

fictionem hominis prorsus inania & impet-
 tentia esse ostendit; sed fides opera legis
 statuit & confirmat, quia fide in Christum
 prius accepta, mox impetratur gratia cre-
 dendibus in eum promissa, qua legis opera
 impleantur, ut illis per fidem adimpletis, sic
 demum coepta iustitia cōpleatur, augeatur,
 & perficiatur: quia non audiores legis tantum,
 sed factores legis iustis ab iure: & in Christo ad
 salutem neque circumcisio, neque preputium, nec
 legem scriptam accepisse, nec opera legis na-
 tura moraliter praestitisse, aliquid valet: sed fides
 qui per dilectionem operatur, ait alibi idem Apo-
 stolus: nihil enim poterit illi colligi ad ius

Rom. 2.
Gal. 5.

Argumentum Cap. III.

Totum caput est in commendatione
 fidei, & in reprobatione operum que
 sunt sine fide: maxime in circumci-
 sione seu statu legis Moysaice, non
 adiuncta fide in Christum venturum. Ope-
 rum iustitiam omnem & qualemcunque in
 hoc capite penitus subverti, contendunt a-
 criter heretici: sed quam inaniter ac falso,
 Antidota hic nostra docebunt.

2. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet
 gloriam apud homines, sed non apud Deum.
3. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham
 Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.

K Locus